

non per consecrationem deputata, tunc potest a quovis Sacerdote per aspersionem solius aquae lustralis ordinariae reconciliari (addit *Jansen.* ex *Leurenio*) etiam non petita ab Episcopo licentia, puta, si facile adiri non possit. Vide c. fin. l. 3. Decr. tit. 40. de consecr.

451. Q. VI. An post. *Trid.* et *Decret. Clem. VIII.* Regularibus adhuc liceat vi suorum privilegiorum erigere privata oratoria et capellas domesticas in monasteriis ac cellis infirmorum, in villis ubi Religiosi resident? R. *Affirmative*; quia Tridentinum solum loquitur de domibus privatis seu locis profanis, quo nomine non comprehendi solent domus Religiosorum. Tale privilegium etiam post *Trid.* concessit Societati Jesu *Gregor. XIII.* in Bulla: *Decet Romanum Pontificem*, ab anno 1575; vide *Lezana*, *Azor*, *Reiffenst.* l. 3. tit. 41. num. 19. ibid. n. 21. addit, quod in dictis oratoriis, et capellis Monasteriorum aut Collegiorum privatis, si a Superioribus benedicantur et ad cultum divinum dumtaxat deputentur, possint etiam alii Sacerdotes saeculares legere, laici audire Missam atque satisfacere praecepto Ecclesiae, non item in cella privata alicujus Religiosi, eoquod oratoria, non vero cellae privatae censeantur esse loca sacra, hoc ipso quod oratoria non cellae a Superiore sint benedictae.

452. De rubricis breviter cum *Busemb.* nosse hic sufficiat: si quis violet rubricam, quae spectat ad essentiam vel quasi essentiam Missae, vel si nullam plane servet, peccat mortaliter, v. g. si quis omittat oblationem hostiae vel calicis, vel infusionem modicae aquae. Nihilominus circa omissionem etiam intra canonem etiam levitatem materiae excusantem a gravi peccato defendunt graves AA. cum *Escobar*, v. g. si quis omittat *Gloria*, *Credo*, vel in Canone nomen alicujus Sancti, vel ea, quae in festis praecipuis interponuntur inter *Communicantes*, vel infra actionem etc. Non licet regulariter aliquid in Missa interponere contra ritum praescriptum, ita ut si quid notabile interponatur, peccetur mortaliter: leve tamen aliquid ex devotione secreto orare, non censet esse mortale *Tamb.*, *Bonac.*, et *Busemb.* Plura de rubrica, ritibus, caeremoniis, ordine et modo legendi Missas passim invenies apud *Gavant.*, *Lohnerum*, praesertim in egregio opere *Bened. XIV.* de Sacrif. Missae, ubi etiam sect. 2. §. 48. vide, quid sentiendum sit de *Missa sicca* sive nautica, quae fit sine Canone, consecratione et sumptione. Praestat legere resolutiones ejusdem *Bened. XIV.* de Sacrificio Missae ex Sect. III. De Sacrif. Missae.

CASUS IV. De scrupuloso Sacerdote.

Hugo Sacerdos scrupulosus mox sub Sacro diu haeret cum variis nutibus capitis, gesticulationibus etc. iterum, iterumque formans intentionem: Volo celebrare Missam: non volo, volas, volare, sed volo, vis, velle. Mox sub consecratione bis, terque verba repetit, quae putat non sufficienter fuisse prolata: subinde ob unam alteramve orationem, ut putat, omissam diu immotus haeret, nescius an ultra debeat pergere.

453. Q. I. Quid primario servandum sit a Sacerdote scrupuloso circa celebrationem Missae? R. cum *La Croix* l. 6. p. 2. n. 190. Saepe perpendat gravissima motiva deponendi scrupulos in sacrificio: 1. quod propter scrupulos nec devotius, nec attentius legat Missam, sed impediatur magis tum devotionem, tum attentionem; 2. quod vel haerendo, vel signa scrupulorum manifestando inhonoret hanc divinissimam actionem, quam ponit non tantum nomine, sed in persona Christi; 3. quod pariat apertum scandalum populo, imo etiam ejus devotionem turbet etc. 4. Proponat sibi alios Sacerdotes pios ac doctos, quanta cum auctoritate ac devotione soleant celebrare etc.

454. Q. II. Quid observandum sit Hugoni laboranti circa intentionem? R. Assuescat ante Missam recitare: *Ego volo celebrare Missam etc.* postmodum in Missa non cogitet deliberate de renovanda intentione, et nequidem interne dicat: *Ego volo celebrare*, sed certus sit, hoc ipso quod timeat, ne non habeat sufficientem intentionem, se habere sufficientissimam, ut ait *Suar.* et *Gobat.* t. 3. n. 787. Non nitatur proprio judicio, sed communi sententiae doctorum ac piorum virorum, *Pasqual.*, *Gobat.*, *Bosco* et plurimorum, scil. vix possibile esse, ut Sacerdoti ratione utenti, et alicujus conscientiae desit sufficiens intentio saltem virtualis, directa et exercita. Vide dicta n. 60. Credat viris doctis *Henriq.*, *Regin.*, *Tambur.*, quod intentio non revocetur per distractiones breves, multo minus per involuntarias anxietates etc. Vide supra n. 28.

455. Q. III. Quid observandum Hugoni anxio de verbis consecrationis perperam prolatis? R. 1. Certus sit, quod *nimia* sollicitudo recte proferendi formam, causa sit non proferendi recte. 2. Ideo assuescat verba consecrationis non altius dicere, quam reliqua, quae secrete dicuntur. 3. Si forte ob cantum, vel orationem populi, vel turbationem, se non audierit verba proferentem, non repetat quidquam; hoc ipso enim quod moverit linguam et organa vocis, ut alias solet movere homo secrete loquens, imprudenter timet, ne nunc non satis expresserit verba, imo si Sacerdos se ipsum deberet audire, saepe altius sonantibus organis, instrumentis ac vocibus musicorum ad invidiam musicorum deberet clamare. 4. Assuescat verba pronunciare immote et continue, absque ullo nutu capitis, sine timore, sine vi halando super hostiam vel in calicem: haec enim irreverentiam sapiunt in ipso etiam colloquio cum hominibus. 5. Meminerit ex dictis num. 24. 25. 26. 31. 35. 36. etc. quod mutilatio raro invalidet Sacramentum.

456. Q. IV. Quid sit agendum Hugoni anxio de defectibus in Missa commissis? R. Servet regulam *P. Gobat* in Exper. t. 3. n. 777. quod defectus, qui non sunt circa substantiam Missae, non sint supplendi, adeoque si commisso defectu jam longe progressus sit, nihil supplendo audacter pergat, etiamsi actio vel oratio timeatur omissa in canone, tum quia suppletio vix fieret sine nota, tum quia inverteretur ordo Missae. Ita *La Croix* l. c. num. 531. cum. s. Th. ubi addit: Si omisisti *Gloria* vel *Credo*, et aliquantulum es progressus, non est repetendum. Plura vide ibidem. Denique in omnibus animose sequatur monita Confessarii.

ARTICULUS III. De obligatione audiendi Missam.

§. I. Principia practica de auditione Missae.

457. *Principium 1. Omnes fideles usum rationis habentes tenentur singulis diebus dominicis ac festis audire Missam, et quidem integram.* De hoc praecepto c. *Missas* 64. de consecrat. Dist. 1. desumpto ex C. Agathensi ab anno 506. ita habetur: *Missas die dominico saecularibus audire speciali ordine* (alii legunt ordinatione) *praecipimus; ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non praesumat; qui, si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* *Tournely* l. c. de Euch. Art. 15. ait, fideles non tantum ex praecepto ecclesiastico teneri Sacrificio Missae interesse, sed etiam ex jure naturali et divino; hoc sensu, 1. *jure naturali*: quia dictante natura Sacrificium Deo debemus tanquam supremo domino rerum omnium et summo benefactori nostro: inde est, quod a mundi primordiis Sacrificium Deo fuerit oblatum. Cum igitur in Religione Christiana post Sacrificium crucis aliud non sit Sacrificium proprie dictum praeter Missae Sacrificium,

satis patet, quod ipsa dictante natura profitentes Religionem Christianam teneantur modo in hac Religione praescripto cum Sacerdote offerre Missae Sacrificium. 2. *Jure divino*, hoc sensu: quia, quod ipsa natura suggerit tanquam necessarium ac debitum Deo obsequium, hoc ipsum etiam imperat jus divinum. Quod Christus hanc legem naturalem offerendi Deo Sacrificium determinaverit ad Sacrificium Missae, satis patet ex eo, quod in Religione Christiana post Sacrificium crucis nullum aliud Sacrificium stricte ac proprie dictum reliquerit praeter Sacrificium Missae. Dixi secundo: *tenentur* scil. sub gravi obligatione; quia praeceptum est de re gravi, et communis fidelium consensus eam gravitatem fatetur. Dixi tertio: *integram missam*, ut patet ex c. cit. Ideoque peccat mortaliter, qui omittit partem notabilem; venialiter vero, qui exiguum et non notabilem omittit.

458. *Princip. II. Ad satisfaciendum huic praecepto non sufficit praesentia mere materialis sive corporalis et physica, qua quis adsit ut brutum vel res inanimata, sed requiritur etiam moralis sive humana et religiosa, qua quis adsit ut homo praeditus ratione cum attentione ad mysterium et intentione colendi Deum.* Ratio est: quia hoc ipso quod Ecclesia declaret, audiendo Sacrum sanctificandos esse dies dominicos, ac festos, nonnisi piam ac devotam praesentiam intendit: ergo. Praeterea cultus divinus, quem Ecclesia hic praescribit, ex se plus exigit, quam solam praesentiam materialem. *Confirm.* ex communi sensu fidelium et doctorum consensu. Porro *attentio* ad moralem praesentiam requisita alia est *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae in altari a Sacerdote peraguntur, sive ad mysteria, quae per actiones significantur: alia *externa*, quae in hoc consistit, quod praesens Sacro non ponat actionem externam cum attentione interna impossibilem. Sufficere attentionem externam defendunt *Tamb., Less., Laym., Lugo* D. 22. sect. 2. n. 27., *Dicast.* D. 8. n. 100., ita ut praecepto ecclesiastico satisfiat, modo externae distractiones caveantur, sive tales actiones, quae internam attentionem impediunt. Rectius juxta communiorem, ut ait *La Croix* L. 3. p. 1. n. 650., requiritur attentio interna saltem talis, ut quis dici possit religiose assistere sub externa specie colentis Deum, ita ut si quaeratur ex tali homine, quid agat, saltem cum veritate possit affirmare, quod vel attendat ad Sacerdotem, vel mentem habeat elevatam ad Deum, quamvis subinde distractionem patiat. *Ratio* est: quia illa attentio externa, qua quis solo corpore assistit Sacro, mente autem et quidem voluntarie ad omnia objecta aliena evagatur, nullo modo videtur posse dici attentio externa directa ad cultum divinum. Accedit, quod exclusio omnis attentionis internae valde incongrua videatur sanctitati Religionis Christianae: ergo etiam contraria menti Ecclesiae. Ex iisdem rationibus requiritur intentio colendi Deum, quia Ecclesia per Missam praecipit Dei cultum. Sufficit autem saltem intentio implicita; explicitam habet, qui intendit audire Sacrum, vel qui vult satisfacere praecepto ecclesiastico de audienda Missa. Implicitam vero 1. qui adit templum volens facere officium Christiani. 2. Qui solet interesse Missae tanquam rei sacrae sive ad cultum divinum pertinenti. 3. Qui non habet intentionem contrariam, praesumitur habere sufficientem implicitam. Vide *La Croix* l. c. n. 635. cum *Suar.*

459. *Princip. III.* Ab auditione Missae excusat: I. *impotentia* non tantum physica, sed etiam moralis. Hoc titulo excusantur 1. incarcerati; 2. aegroti; 3. reconvalescentes, praesertim ex consilio prudentis Medici vel Confessarii, dum exitus prudenter timetur esse nociturus; 4. timentes notabile damnum sive in honore, sive in bonis fortunae; 5. distantes a templo uno milliari, vel secundum alios, una hora, habita tamen ratione

personae et auae; 6. custodes domus, ubi unica tantum legitur Missa; 7. commorantes inter haereticos, quamdiu justam ibi commorandi causam habent. Vid. P. I. a n. 255.

460. II. Excusat *charitas*. Sic excusatur assistens aegroti, qui alias destitutus esset auxilio: item qui aliter impedire nequit grave malum sive damnum proximi corporale sive spirituale. Vide P. I. n. 688. 690. 691.

461. III. Excusat *officium* 1. Milites in custodiis; 2. Pastores gregum; 3. Laborantes in fusoriis, quando labor ante diem festum interrumpi nequit; 4. Matres assistentes infantibus etc.

462. IV. Excusat *consuetudo*. Sic excusantur mulieres post partum consueto tempore se domi continententes.

§. II. Resolvuntur casus.

CASUS I.

Juliana nimis delicate educans proles suas nonnisi cura optime favente permittit, ut filiae 8. 9. et 10. annorum diebus dominicis intersint Sacro; cum tamen iisdem facile permittat, etiam cura non favente, visitationem domorum longe distantium: filium vero licet surdum, mutum et coecum ad Sacrum, quaecumque demum cura sit, jubet duci; Scrupulus mihi, inquit mater, oriretur, nisi filius satisfaceret Ecclesiae praecepto.

463. Q. I. An filiae matris Julianae ratione aetatis jam fuerint obligatae ad audiendam Missam? R. *Affirmative*: quia post septimum aetatis annum regulariter censentur sufficientem habere rationis usum ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam; praesertim cum Julianae filiae in casu ponantur satis promptae et alacres ad frequentes visitationes.

464. Q. II. *Qua igitur aetate, quo anno parvuli incipiunt obligari hoc praecepto?* Respondet *Laym.* in genere: quando ad eum rationis usum pervenerunt, ut bonum a malo sufficienter discernere, Deum orationibus et votis colere, atque etiam mortaliter peccare possint. Alii cum *Bonac.* de Euch. q. ult. n. 8. *Azor., Tolet., Suar., Sanch.* L. 1. Mor. c. 12., *Tannero* statuunt, pueros et puellas obligari expleto septennio, quia tunc communiter praesumuntur habere sufficientem rationem; quod affirmavi P. I. n. 208. *Gobat* tamen T. 5. n. 313. plus temporis pro maturitate sufficiente in pueris rusticorum concedit.

465. Q. III. An filius Julianae surdus, coecus, mutus fuerit obligatus ad audiendam Missam? R. *Negative*: quia talis nec scire potest, quid sit Missa, consequenter nec habere sufficientem intentionem, nec attentionem. Si quis tamen esset tantum coecus, vel tantum mutus aut surdus, teneretur audire Missam, quia adhuc potest sufficienter instrui, hanc actionem esse Dei cultum, et moraliter potest assistere. Vide P. *Gobat* tr. 5. Theol. Exper. n. 29. Excusantur etiam perpetuo amentes juxta dicta. P. I. n. 209.

466. Porro hic resolves I. Sacerdos, qui non celebrat die dominico aut festo, tenetur et ipse audire Sacrum. Si alius celebraturus desit, tenetur ipse celebrare, ut Missam audiat: quia tum tenetur audire et legendo audit Missam, neque hoc medium est extraordinarium: qui autem tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 614. Quid autem, si talis Sacerdos sit in statu peccati mortalis? R. Si habeat copiam Confessarii, tenetur prius confiteri. Quid, si non habeat copiam Confessarii? Respondet *Gobat* l. c. n. 44. quod debeat omittere Sacrum, quia in tali casu praeceptum audiendi Missam cedit praecepto confitendi; *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat.* Quid iterum, si Confessarius distet spatio mediae horae, an hic Sacerdos deberet ad illum excurrere?

Respondet *Gobat* l. c. n. 44. *affirmative*, ut vel alterius Sacerdotis Sacrum audiat, vel defectu hujus ipse per confessionem se disponat ad legendum Sacrum: quia distantia horae mediae non est causa legitime excusans ab audiendo Sacro.

467. II. Infideles nondum baptizati, quamvis catechumeni, non tenentur hoc praecepto, quia necdum sunt ingressi Ecclesiam per baptismum; ergo nec sunt subditi. *Bonac.* Disp. 4. q. ult. punct. 11. n. 9. Haeretici, quia sunt excommunicati, jubentur emanere, in Germania tamen non peccant adeundo, quia non sunt denunciati. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 613.

468. III. Parentes tenentur mittere liberos suos ad audiendum Sacrum, quando incipiunt obligari hoc praecepto. Consulendum iisdem, ut assuefaciant liberos suos Sacra frequentare, etsi nondum obligentur, modo in iis appareat usus rationis: hoc enim Christianam pietatem decet. In ea autem aetate constituti, qua res divinas nullo modo apprehendere, neque in templo quiete decenterque contineri possunt, domi relinquuntur, ne alios graviter turbent, et illos ipsos, qui eos solent adducere, ab attentione et devotione impediunt. *Stoz* L. 1. P. 3. q. 3. n. 244.

469. IV. Obligatio audiendi Sacrum est affixa diei et cum die festo expirat: hinc qui die dominico aut festo Sacrum omisit audire, non tenetur postero die defectum supplere. *Dicast.* de Sacrif. Miss.

470. V. Hoc praeceptum tantum se extendit ad dies dominicos et festivos communiter receptos in Ecclesia, et approbatos a Summo Pontifice pro aliqua Dioecesi. Dies autem festus non potest institui a Principe saeculari, neque ab Episcopo sine consensu Cleri et populi, juxta c. *conquestus* ult. de Feriis; potest autem ab Episcopo cum consensu Cleri institui festum unicum proprium Dioecesis, v. g. festum Patroni tutelaris, ad quod servandum etiam tenentur Religiosi exempti. *Trid.* sess. 25. C. 12. de Regul. Potest etiam populus consentiente Episcopo vovere festum, ad quod obligantur etiam posterius, non vi voti, quod erat personale, sed ex praecepto Episcopi approbantis et praecipientis tale festum, possetque pro media tantum die institui, in qua mane esset obligatio ad Missam et ad abstinendum a servilibus, non item post meridiem. *La Croix* l. c. n. 619. In die Cinerum, die Commemorationis Fidelium defunctorum, festo s. Marci, feria 5. 6. et sabbato hebdomadis sanctae, item in diebus rogationum non est obligatio audiendi Missam; quia non sunt vere, sed quasi festa. *La Croix* ib. n. 620.

CASUS II. De missa integre audienda, et de praesentia audientis.

Julius liberiori vitae deditus, ut citius ad suos commilitones veniat, diebus dominicis duas partes Missae, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit; festo Nativitatis non nisi unico Sacro interest; alias audit duas Missas successive, primam a canone usque ad finem, alteram ab initio usque ad canonem. Praeterea diebus festis frequentissime post Evangelium, modo venit ad offertorium, et, ne sero veniens ab aliis explodatur, reliquas Missae partes audit stans extra templum nec videns nec audiens Sacerdotem.

471. Q. I. An Julius satisfecerit praecepto audiendo plures partes simul a diversis celebrantibus? R. *Negative*: patet ex propos. 53. ab *Innocentio XI.* damnata. Ratio est juxta *Caramuel, Kugler*, et alios; quia hoc modo facile eluderetur praeceptum Ecclesiae: posset enim uno quasi momento Missa audiri, si plures Sacerdotes simul, v. g. primus Epistolam, secundus Evangelium, tertius oblationem, quartus Consecrationem, alii

caeteras Missae partes persolverent. Addit *Viva* in dict. propos. n. 2. non posse dici, quod una Missa moraliter integra audiatur, si simul audiantur duae vel plures Missae partes, quia Missa ex natura sua constat ex partibus successivis: ergo si simul audiantur plures partes, non auditur una Missa integra, ne moraliter quidem.

472. Q. II. An Julius satisfecerit in festo Nativitatis Christi, unam tantum audiendo Missam? R. *Affirmative*: quia de tribus audiendis non extat praeceptum. *Bonac.* l. c. cum *Navar., S. Antonino* et communi. Suaudet tamen singularis fidelium devotio, ut nisi obstet impedimentum, tres audiantur.

473. Q. III. An Julius satisfecerit praecepto audiendo duas diversarum Missarum partes successive? R. Probabilius non satisfecit: quia partes diversarum Missarum nullam inter se habent connexionem, nec una cum altera tanquam ad unum Sacrificium constituendum coalescit, sed quaelibet ad suum Sacrificium complendum ordinatur: ergo praecepto Ecclesiae hoc modo non satisfit, utpote quae praecipit unius Sacri auditionem, non duas duorum medietates. Ita *Stoz* l. c. n. 247. cum *Coninck, Tamb., Fagund.* et aliis. Contra *Bonac.* et *Laym.* qui L. 4. T. 6. C. 3. n. 4. ait, quod talis peccet venialiter, eoquod quidem satisfaciatur praecepto quoad substantiam, non tamen quoad modum et perfectionem.

474. Q. IV. An Julius peccaverit mortaliter, quoties venit ad Missam post Evangelium? R. Excusat quidem *Laym.* l. c. n. 3. cum *Nav.* et *Suar.* a peccato mortali illum, qui, dum post Evangelium lectum venit, reliquam Missam audit usque ad Evangelium s. Joannis inclusive: quia licet haec valde notabilis pars sit quoad durationem, non tamen est notabilis quoad partium principalitatem, et per ultimum Evangelium videtur compensari primum neglectum; adeoque juxta hanc sententiam Julius *per se* loquendo non peccavit graviter, sed venialiter. Alii tamen multi apud *Bonac.* l. c. n. 16. affirmant partem jam notabilem esse usque ad Epistolam inclusive. Ex varietate sententiarum pro praxi nemini suadendum est, ut studio negligat hanc primam partem usque ad offertorium, cum certum sit, quod saltem peccetur venialiter; consuetudinariis vero dicendum est, quod sub gravi peccato teneantur deponere consuetudinem sero veniendi, tum quia sapit contemptum hujus partis quoad durationem saltem valde notabilis, tum quia se exponunt periculo negligendi partem quoad substantiam notabilem. Ideo supra dixi, *per se* loquendo; si enim Julius studio non corrigat sero veniendi consuetudinem, a gravi peccato excusandus non est. Denique si talis consuetudo excusaretur, tepiditas plurimis persuaderet praecepto satisfieri, modo quis intersit Missae a tempore consecrationis.

475. Ex his porro resolve 1. Non peccat mortaliter, qui adest ab initio Missae vel saltem ab Epistola, et manet usque ad sumptionem inclusive. 2. Si quis ad afferendum aliquid necessarium ad Missam egrederetur e templo ad locum remotum, qui non communicat cum templo, v. g. ad domum Parochi, et emaneret per notabile tempus, aut negligeret actionem substantialem, v. g. consecrationem utramque, probabilius juxta *La Croix* l. c. n. 645. contra *Leand. et Dicast.* non audiret Missam; quia corporaliter non maneret praesens, nequidem moraliter: hinc si posset, teneretur aliam audire Missam; si autem non posset, excusaretur a peccato propter necessitatem rei adferendae. Si vero iret ad sacristiam aliquid allaturus, aut ad campanile tracturus campanas sub elevatione, censeretur manere moraliter praesens, quia haec loca communicant cum templo, cum sint quasi aliquid templi. Eodem modo loquere de ministrantibus in Sacro solemni, qui modo ex officio recedunt ab altari, modo iterum accedunt:

horum enim tota actio ordinatur ad ipsum Sacrificium, nec penitus egrediuntur e templo.

476. Q. V. An satisfaciatur huic praecepto, qui audit Sacrum stans extra templum, nec videns, nec audiens Sacerdotem? R. Satisfacit, si sit conjunctus aliis, faciatque cum illis unam moraliter multitudinem et se illis conformet, cum illis flectat, surgat, percutiat pectus etc. *Ratio* est, quia non tantum is, qui physice est praesens, sive qui reipsa existit in templo, in quo Missa celebratur, sed etiam ille, qui moraliter ibi existere censetur ob talem distantiam, quae juxta prudentum aestimationem reputatur pro nulla, vel modica, satisfacit praecepto; quia talis adhuc moraliter est in loco, ubi Missa offertur, potestque dici unus eorum, qui circumstant et cum Sacerdote offerunt Sacrificium. *La Croix* L. 3. p. 1. n. 639. *Ibid.* n. 643. resolvit, quod non satisfiat praecepto, si habitans e regione templi e fenestra domus suae videat altare et Sacerdotem celebrantem; quia si excommunicatus hoc modo audiret Sacrum e domo vicina, non ideo peccaret, neque Sacerdos ideo teneretur desistere a Missa: ergo recte colligitur, quod ex communi judicio talis non censetur moraliter praesens. *Gobat* quidem in *Exper.* t. 5. n. 171. et seq. contrarium affirmat, modo interjecta platea non sit nimis lata, et quid est aliud, ait, *audire Sacrum devote, quam spectare devote sacrificantem?* Ex hac autem ratione etiam posset dici audire Sacrum, qui longissime distans a templo per tubum opticum devote spectaret sacrificantem. Vide *Diana* P. 4. t. 4. resol. 154., *Laur.* de *Portel.* *Filliucium* Tom. 1. t. 5. C. 7. n. 209. qui nobiscum tenent contra *Gobat*, et alios.

477. De attentione adde sequentia I. *Attentio interna* est triplex: 1. Alia ad verba et actiones Sacerdotis: haec ex fine bono et objecto bona est. 2. Alia ad sensum et mysteria, quae per verba et actiones significantur: haec melior, quia conjunctam habet majorem devotionem et congruit institutioni hujus Sacrificii. 3. Alia ad Deum per preces et meditationes adorandum, laudandum et colendum: haec communior est. Quaelibet ex his sufficit ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam: quia per quamlibet sufficienter applicatur animus ad cultum divinum per Sacrificium intentum; nec a rudibus perfectissima aut perfectior applicatio potest requiri. Hinc frustra sibi timet, qui attente orans actualiter non attendit ad offertorium, consecrationem aut sumptionem, nec obstant breves et involuntariae distractiones, quominus quis praecepto satisfecerit, tum quia per has praecedens intentio et attentio non retractatur, sed manet virtualiter, tum quia non est in nostra potestate evitare omnes involuntarias distractiones. *S. Ambros.* L. de fuga saec. C. 1.

478. II. Qui scribunt, vel pingunt, vel attente legunt librum profanum aut novellas per notabilem partem Missae, non audiunt Missam, quia hae actiones ex se ita occupant animum, ut cum illis attentio interna ad res sacras non sit compossibilis. Multo minus audiunt Missam, qui per notabilem partem vel per totum Sacrum dormiunt, vel confabulantur, aut talia agunt, ut nequeant (moraliter loquendo) attendere ad cultum divinum: quia hi omnes carent attentione externa et interna. *Illsung.* t. 5. n. 158., *Pasqual.*, *Gobat.* Si tamen ista fiant interruptim, ita ut non tolerant penitus attentionem internam ad Sacrificium, quamvis minuunt, peccatur tantum venialiter secluso graviore scandalo. Vide *Suarez* hic *Disp.* 88. *Sect.* 3. enucleate de his disserentem.

479. III. Musici audiunt Sacrum, dummodo praemissa intentione subinde attendant ad id, quod in ara geritur: nam cantus vel lusus eorum

directe refertur ad Dei cultum, nec per se tollit sufficientem advertentiam. Vide *Less.* in *Auct.* V. *Missæ* cas. 3.

480. IV. Qui sub Missa se praeparat ad confessionem, vel persolvit poenitentiam injunctam, sufficienter audit Missam, quia sufficienter una cum his piis actionibus potest attendere. An satisfaciatur is, qui sub Missa per longum tempus confitetur, variant AA. *Regin.*, *Castropal.*, *Less.*, *Gobat.* n. 258. contra *Bonac.*, *Tambur.*, *Dicast.* et alios affirmant absolute, quod talis confitens satisfaciatur, quia ex supposito habet intentionem audiendi: adest corpore, quia confitetur in templo: assistit moraliter, quia praesens est humano et religioso modo: sufficienter potest attendere, et licet forte actu non attendat, actione tamen pia occupatur et censetur cum sacrificante et circumstantibus Deo cultum exhibere. Haec sententia favet illis, quibus non licet per negotia pluribus Sacris interesse. Hinc in praxi suadet *La Croix* l. c. n. 655. ut, si confessio praevideatur longior, potius fiat extra Missam, vel si possit fieri, alia Missa audiatur, vel si non nisi sub Sacro quis possit confiteri, saltem sub offertorio, consecratione, et communione conetur aliquam attentionem habere ad Missam.

481. De loco, ubi Missa audienda, observat *Suarez* hic *D.* 88. *sect.* 2. cum *Nav.*, *Sylv.*, *Turrecrem.*, *S. Antonino* et aliis, quod satisfaciatur fideles audiendo Missam extra propriam Parochiam, eoquod consuetudo ecclesiastica ita habeat, per quam jus antiquum, si quod fortasse de hac re fuit, abrogatum censetur. Adde privilegia Regularium: sic *Leo X.* per Bullam: *Exponi nobis*, 3. Decemb. 1518. concessit Minoribus, ut audientes Missas in eorum Ecclesiis, dominicis aliisque festivis diebus, non contempto proprio Sacerdote parochiali, satisfaciatur praecepto Ecclesiae, nec in aliquam labem peccati mortalis poenamve propterea incurrant. Vide *Compend. Privil. Soc. Jesu* verbo *Missæ*. §. 2. *Paulus III.* per Bullam: *Licet debitum*, anno 1549. concessit, ut omnes et singuli Christi fideles, cujuscumque conditionis existant, qui verbi Dei concionibus seu praedicationibus Patrum Societatis Jesu, in Ecclesiis, ubi ipsi concionabuntur, interfuerint, Missas et alia divina officia audire et ecclesiastica sacramenta ibidem recipere, libere et licite valeant, nec ad id ad proprias Parochiales Ecclesias accedere teneantur. Idem confirmavit *Clemens VIII.* anno 1592. 22. Decem. decreto misso in Belgium, quod incipit: *Significatum nobis fuit:* ubi ita: *Praesenti decreto sancimus, licere saecularibus, Christique fidelibus universis libere Missas diebus dominicis et aliis majoribus festis audire in Ecclesiis tam Fratrum Praedicatorum, quam aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis Jesu, juxta illorum privilegia et antiquas consuetudines, dummodo id in contemptum Ecclesiarum Parochialium non faciant: et tam dictis Fratribus Praedicatoribus et Presbyteris dictae Societatis, quam aliis privilegiatis praedictis, quibus id a Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen et ab ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali et Paschali et quovis alio tempore, confiteri licite posse, dummodo tamen saeculares Christi fideles Sacramentum Eucharistiae die festo Paschalis Resurrectionis in propria parochia ab eorum Parocho sumant.*

482. Quae sint observanda circa Missas in oratoriis privatis, vide *La Croix* L. 3. P. 1. a n. 626. et L. 6. P. 2. a n. 262., vide etiam dicta superius n. 451. Juxta *Gavant.* P. 1. tit. 20. ex *Declar. s. Congreg.* 17. Nov. 1607. in oratoriis saecularium non licet celebrare festis Nativitatis Christi, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Annunciationis, Assumptionis, Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum. Quando tamen tale oratorium concessum est propter infirmitatem, non est exceptio ullius festi solem-